Q. D. B. V.

ORIGINES
Inclutae Sileſiorum Vrbis
LIGNICII,

ediſſeret

PRAESIDE

CONRADO SAMVELE SCHVRZFLEISCHIO,

M. IO. CHRISTOPH. Moſemann/
Lignicio Sileſius,

In Auditorio Maiori,
Ad D. XXIV. Novembr. A M DC XCVII.
CVM PRIVILEGIO SEREN. EL. SAXON.

Diſputatio LX.

LIPSIAE, Apud NICOLAVM SCIPIONEM.
cIↄ Iↄc XCIIX.

I.

BOni Civis eſt, eius Civitatis, qvae naſcentem excepit, ſcrutari Origines, et explere libenter officium, qvod Patriae Charitas expoſcit. Hoc maiori deſiderio afficior, qvum ad ultima Lignicii tempora reſpicio, et nomen ac primordia Vrbis, Principum ſede tumulisqve clarae, perqviro.

II. A Lygiis eſſe conditam, vetus opinio eſt, qvae non modo finitimas regiones opplevit, ſed etiam in externas usqve pervaſit. Sed pro certo affirmari non poteſt, hic conſediſſe Lygios, et perinde incertum eſt, hos urbibus extruendis operam dediſſe, propterea qvod Lygii vicos pagosqve habitarunt, more Germanorum veterum, qvi propter Viadrum et Albim, citraqve mare Balticum incoluerunt. Neqve enim *Tacitus* qvicqvam de Lygiorum Vrbe prodidit, *Lygiorum* vero *nomen in plures Civitates* diffuſum commemoravit. *Germ. Mor. c. XLIII. 3.* Populus enim Lygiorum auctus, non uno Regis Imperio coniungi voluit, ſed more Maiorum diverſas, easqve populares Reſpublicas inſtituit, qvas Tacitus nominavit *Civitates*, nec uni ſemper loco affixas, neqve unius appellatione nominis deſignatas; Germaniae tamen magnae annumeratas, neqve a Sileſia, qvam Viadrus interfluit, ſeiunctas.

III. Congruit deſcripto Taciti, et antiqvas Lygiorum ſedes facile mihi in animum revocat, qvos a Sileſiis diverſos eſſe, nemo temere dixerit, qvanqvam *Phil. Cluverium* in diverſa omnia abire, Lygiosqve inter Vartam et Viſtulam fluvios collocare, et ut verbo dicam, Poloniae, cuius partem tenuiſſe putat, aſcriptos velle. *Germ. antiq. l. III. c. 3.* Poloniae proximos coluiſſe certum eſt, ſed ad Sinum usqve Venedicum porrectos fuiſſe, nullis Veterum monumentis confirmare licet. Ab eo enim remotos habitaſſe indicio eſt, qvod ultra montes, qvi Svevos ſecernunt a Lygiis, ſedes ſuas, auctore *Tacito*, habuerunt, Sermo autem mihi eſt de Svevis

mediterraneis, Lygiorum noſtratium finitimis, non de maritimis Sinus Codarii accolis, a qvibus antea Svevicus eſt dictus ille Sinus, qvippe qvi Germaniam magnam, eiusqve partem cisbaltianam incoluerunt.

IV. Sed ubi conſtituatur *continuum* illud *montium iugum*, qvod commemorat Tacitus, diligenter exqvirendum eſt, ſine qvo nihil in hac cauſa definiamus. Propiores vero ſunt, qvi montes magno locorum ſpatio procurrentes intelligunt, qvos verſus meridiem Sudetos, verſus Orientem Carpaticos appellant: illi Sileſiam a Boiemia ſeparant, et pro parte etiam Riphaei nominantur: iſti veteris Sveviae, qva in Orientem vergunt, limites, eandem qvoqve a Polonia et Hungaria ſeiungunt. *Ioachimus Curaeus in Annalibus Sileſiae p. 6.* Qvanqvam ſine Veterum auctoritate locutus eſt, qvando Carpatum Svevi nomine appellat, qvod merito improbat *Abr. Ortelius Theſ. Geograph. h. v. Henelius in Sileſiographia cap. I. p. 5. 6. 7.* Eiusdem culpae affinis eſt *Iodocus VVillichius commentar. in Taciti Germaniam cap. XXI.*

V. Vndenam vero Sileſiae nomen ducendum ſit, qvaeritur: utrum *a Sleſa* fluvio, qvod putavit *Conradus Celtes*, an a Venedorum vocabulo *Sleſak*, qvod convenam ſignificat, ut *Cromerus* et *Henelius* exiſtimant, nec diſſentiunt *Franciſcus Faber* et *Caſp. Peucerus*: an a *Sluſa* voce Germanica, clauſum aliqvid denotante, qvorſum legendus eſt *Goldaſtus L. I. c. 14. de Regno Bohemiae*: an a *Zle*, qvod pervetuſto Slavicae gentis uſu hominem improbum et malum deſignat, ut aliqvibus viſum eſt, tametſi id negat *Phil. Cluverius Germ. antiq. l. III. cap. 31.* an a *Rege qvodam* huius nominis, ut *Matth. Qvadus*, et poſt eum *Stephanus Ritterus Heſſus*: an a verbo ſerpendi ſignificatu praedito, qvod probavit *Io. Dubravius Hiſt. Boh. l. II.* et *Boregkius Chron. part. I*: an ab *aſpera terra*, qvam vox non multum a noſtrae gentis conſvetudine recedens notat, et applauſorem habet *Franciſcum Fabrum*: an a monte

huius

huius terrae, qvem hodie *Sabothum* dicunt, cuius ſententiae, fuit *Ditmarus Merſeburgenſis*, qvi *Pagi Silenſis*, id eſt, more loqvendi Teutonico, regionis Sileſiae *vocabulum, a qvodam monte nimis excelſo et grandi inditum* exiſtimat, neqve alium ibi, qvam Sabothi montem ſubindicat. *Lib. VII. Chronic.* Antiſtes enim ille cum Henrico II. in Poloniam profectus, Boiemiam, vicinasqve regiones, et ipſam adeo Sileſiam praeclare cognitam habuit, et multo iudicio induſtriaqve res perinde Germanicas, ac Slavicas, occaſione belli Polonici, ductis altius initiis, conſignavit. Subdubitat tamen Henelius, multa Vir doctrina, et qvam hic praecipue ſpecto, peritia rerum noſtratium inſignis. Ad illius igitur partes accedo, et ſuffragatorem habeo *Henricum Meibomium in commentariolo de pagis veteris Germaniae, in h.v.* Goldaſtus nihil definit, ſed Boregkii de Sudetis a *Slezac* nuncupatis *plauſibilem coniecturam* vocat *lib. cit.* Non tamen inficari poſſum, propiorem vero videri hanc originem, ſi a Ditmari ſententia diſceſſerim, qvam ceteroqvin aliis praefero, qvippe gravisſimi ſcriptoris auctoritate fultam.

VI. Qvare nunc mea refert, ut exqviram primordia Vrbis Lignicii, qvam a Lygiis extructam fama tenet, tempus autem qvo coepit, et exaedificata eſt, nemo facile in tanta rerum patriarum caligine definiet, qvamvis prima eius initia haud temere Lygiis tribuantur. Eſt enim conſenſione qvadam et vetuſtate corroborata opinio, neqve a credulitate Popularium meorum aliena, neqve a nomine patriae Vrbis abhorrens. Sed Ptolemaei *Hegetmatia*, cuius *Lib. II. c. II. Geograph.* meminit, nullo nominis ſitusqve indicio cum Lignicio congruit: accedit qvod ſub hoc tempus, qvo Ptolemaeus vixit, Germania nullas vrbes habuit, ſpeciatim, qvae hic intelligitur, transrhenana et magna, in cuius ambitu Tacitus collocavit Lygios, atqve ultimos Sileſiorum maiores. Non magis ergo Hegetmatia ad Lignicium, qvam Budorgis ad Vratislaviam qvadrat;

 utrum-

utrumqve tabulae, qvibus locorum menſurae et deſcriptiones continentur, oſtendunt, et de Vratislavia etiam limati Vir iudicii ultro concedit Henelius, *Breslograph. cap. II.* A qvo diſſentiunt Seb. Munſterus, Hadrianus Iunius, Hadrianus Romanus, Daſypodius, Braunius, et alii non e vulgo, viri apprime docti, vel ipſo iudice Goldaſto, *de reg. Reg. Boh. l. ſupra cit.* Sunt tamen haud imperiti originum patriarum homines, qvi, cum ex antiqvitatis memoria eruere nihil certi posſint, argumenta ex priſca Germanorum * voce deſumunt, qvae *prata paſcuis apta* denotat, qvorum hic bene multa ſunt, et in circumiecto agro iucundum aſpectum praebent. Veruntamen haec per ſe ſola fidem non faciunt, cum plures ſint Vrbes, qvae hac felicitate non concedunt Lignicio, et pratis perinde ac paſcuis abundant, neqve tamen hoc nomine ab aliis diſtingvuntur. Illud autem merito redarguendum eſt, qvod mendoſe qvidam ſcribant *Hegetmaſia*, qvos Ptolemaei codex erroris admonere potuit, in qvo ſcribitur Hegetmatia, Graece qvidem et ſine vitio Ἡγητματία.

VII. Sunt, qvi Lignicium a Lecho primo Polonorum Principe conditum, qvaſiqve Lechnizium ab eo dictum putent. Qvorum ſententia cum in multis patriae documentis, templorumqve epitaphis, praeſidium habet, tum ſpeciatim confirmatur veteri qvodam monumento, qvod ita finit: *Acta ſunt haec publice et data in Legnitz, Anno ab incarnatione Domini M C LXXVIII.* Diplomati nomen titulumqve praeſcripſit Boleslaus Altus, qvi urbem arcemqve, ligneam fecit lapideam, primusqve ibi Aulae ſedem collocavit, et finitimum urbi monaſterium religione loci cultum, et antiqvitate clarum Leubuſium, inſtituto Benedictini nominis Ordine, atqve in Ciſtertienſis locum ſubrogato, ſolenni ritu inſtauravit.

VIII. Ne-

* Häge-Matten/ i. e. gehägte Wieſen. Qvalia nomina apud nos ad Catti inprimis ripas, qvem multi Tagum Lignicii vocant, adhuc manent e. g. Frauen-Hag/ Glogauiſcher Hag/ Breßlauiſcher Hag.

VIII. Neqve tamen his ſuffragari poſſum, qvi pro Duce Lecho ſententiam dicunt, cuius tenue erat initium, modicaeqve vires, cui nec Sarmatia omnis,nedum Sileſia univerſa parebat. Tum vero Lechus nullas in Sarmatia Vrbes condidit,tanto minus in regione extra Sarmatiae fines ſita, Vrbium condendarum initium fecit, aut ſuo eas nomine appellavit. Repugnat id conſvetudini illorum temporum, qvibus vicos, non vrbes, et Rectores, non Reges, Polonia habuit, qvorum rationes domeſticis negotiis impeditae, et conſilia ad belli artes potius, qvam ad extruendas Vrbes ſpectabant. Ne dicam in praeſens Lignicium vel ipſo nominis ſono alium a Lecho prodere conditorem: Si enim Lechi Sarmatae principis opus eſſet, haud dubie Lechicium, aut,ſi litera liberius addenda eſt,Lechnicium ſcriberetur. Qvanqvam iis non repugno, qvi affirmant, nomen huius urbis poſt diſceſſum Germanorum a Sarmatis inditum, ſed qvo Sarmatarum Principe id contigerit, auctoritate veterum Poloniae annalium non poſſe definiri. Vere ceteroqvin tradit Bohuslaus Balbinus, pleraqve vetuſtiorum Sileſiae urbium nomina ab Sarmatis, ſive Slavis eſſe petenda, *epit. rer. Boh.l.III.c.8.p.209.* Res ipſa loqvitur, vocabula, qvae perinde ac *Ligniz* finiuntur, certiſſimum Slavicae originis afferre argumentum, qvod Saxonici etiam Scriptores de familiis Slavicis, civitate Saxonica donatis, confitentur.

IX. Qvod ad urnas in Sileſia repertas attinet, non difficulter probare poſſum, Sarmatas Slavosqve cremaſſe cadavera,et collegiſſe ex buſto cineres, eosqve in urnis fictilibus repoſuiſſe. Idcirco falluntur, qvi putant, Sarmatas Polonosqve ſepultura contentos, non adhibuiſſe cremationis ritum,contra fidem antiqvitatis, et contra experientiam, qvae cineres combuſtorum corporum paſſim in finibus Poloniae oſtendit. Neqve tamen ideo Lygii a Polonis, ſed a cognato Germanorum populo, traditum hunc morem acceperunt, qvippe qvi corpora mortuorum cremanda rogo impoſuerunt, nec prius, qvam Chriſtum ample-

plexi ſunt, ab hoc ritu diſceſſerunt, neq; Poloni, anteqvam erant initiati ſacris, conſvetudinem cremandi miſſam fecerunt. De Germanis Tacitus, et alii priſcae Teutonum gentis ſcriptores tradunt, de Sarmatis poſt Procopium domeſtici auctores, et noviſſime *Iacobus a Mellen in hiſtoria urnae ſepulcralis Sarmaticae.*

X. An vero ex urnis, qvae in agro noſtrae Vrbis effodiuntur, argumenta antiqvitatis petenda ſint, explanari par eſt, praeſertim qvum multae paſſim et variae in finitimis patriae fundis reperiantur. Praeter urnas magnae, mediae, et parvae molis, etiam numi, Romanorum Imperatorum imagine ſignati, ibidem inventi, et eruti ſunt, qvos haud dubie Qvadi, Romanis implicati bellis, in has oras, velut praedam ab hoſte captam, aſportarunt. Qvados autem partem Sileſiae, qvae ſuperior dicitur, incoluiſſe, affirmandum eſt, aut certe proximos fuiſſe, ut alii volunt, concedendum. Qvanqvam vero eſt magis ſimile, Marcomannos Moraviam tenuiſſe, ſedesqve Danubio propiores habuiſſe, ut mecum putat rerum Moravicarum peritiſſimus ſcriptor *Zechorodus.* Nam qvod de *Tacito* obiicit Cluverius, nihil evincit, nec refert, qvod Qvados eo loco conſtituat, ubi *Germaniae velut frons eſt, qvatenus Danubio praetexitur. Mor. Germ. cap. XLII.* Nam veterum auctoritate librorum repono, *pergitur*, non praetexitur, etiam Berneggeri ſuffragio, qvod vehementer probo. Verba autem, *qvatenus Danubio pergitur*, non impediunt, qvo minus Qvadi in Sileſiis numerentur, ſive a Danubio, ut Cornelium interpretor, ſive, ut alii exponunt, ad Danubium, atqve adeo ad remotiora pergas. Fines enim veteris Qvadiae fuiſſe ampliores, et verſus meridiem ad Danubium patuiſſe longius, dicere nihil vetat. Ibidem *Tacitus* tradit, Marcomannis Qvadisqve Reges praefuiſſe, qvam Taciti narrationem firmat Antonini pii numus, ad poſteritatis memoriam inſignis. REX QVADIS DATVS. Fidem monumento fecit Iulius Capitolinus, *Qvadi,* inqvit, *amiſſo Rege ſuo, non prius ſe confirmaturos eum, qvi erat creatus, dicebant, qvam id noſtris placuiſ-*

ſet

ſet Imperatoribus, in Vita Marci cap XIV. Ante Capitolinum Tacitus, verax peritusqve rerum Germanicarum, ſi qvis alius, ſcriptor, tradit: *vis et potentia Regibus* (Marcomannorum et Qvadorum) *ex auctoritate Romana. M.G. cap. XLII.*

XI. Ex qvibus apparet, Romanos ex Pannonia moviſſe in Qvadorum terras, et perveniſſe in Sileſiorum fines, ac penetraſſe in noſtratem agrum, ſed nondum urbibus exultum, vicis tamen pagisqve, ut illa ferebant tempora, freqventatum. Enimvero hoc numi demonſtrant, in qvibus nomina Imperatorum inciſa ſunt, ex his ſigillatim Traiani et Marci Antonini. Qvae documenta eiusmodi ſunt, ut certo probent, non tantum Lecho principe, ſed etiam ante eius tempora Qvadiam Sileſiamqve fuiſſe habitatam, contra qvam putavit *Matthias Michovius,* ante Lechi tempora regionem incolis vacuam, et qvod hinc ſeqvitur, vicinis ignotam extitiſſe. De ollis mortuorum et urnis nihil addo, qvippe qvas noſtri cum Romanis Sarmatisqve communes habuerunt, atqve hoc indicio ante Lechi Principis Sarmatici adventum, ritus funerum agentibus, divini nominis cultus ignaris, ex Graecia aut Latio, ab illa Vrbium Occidentis matre, acceperunt.

XII. Qvibus conſtitutis, ultima vrbis initia iam inveſtiganda ſunt, qvae mea qvidem ſententia tertium decimum ſupputationis Dionyſianae ſeculum vix praecedunt. Difficile creditu eſt, qvod tradit Matthaeus Dreſſerus, qvem ſeqvitur Schickfuſius, primum fuiſſe *Boleslaum* cognomine *Altum,* qvi Lignicium muro cinxerit, ſuoqve auſpicio effecerit, ut vrbis dignitatem obtineret. Fuit is natu maior Vladislai II. et Adelheidis ex auguſta Salicorum ſtirpe oriundae, filius, ducatumqve hereditario iure fundatum, ſua auctoritate rexit feliciter, et ſede domicilioqve ſuo Lignicium ornavit, ut ſoli deinceps Vratislaviae ſecunda eſſet. Deceſſit grandis natu Princeps, et proſperiori, qvam pater, fortuna uſus eſt, Vratislaviam Sileſiae caput, Bregam qvoqve, Niſſam, Svidnicium Iauraviam Lubenam, Oelſnam, in ditione ſua habuit, annoqve aetatis ſeptuageſimo qvar-

to, illatus eſt tumulo Monaſterii, qvod locupletavit, Leubuſienſis. Teſtis eſt vetus cippi principalis inſcriptio, qvam ſubiicio. *A. Dni MCCI. VII. Idus Decembr. illuſtris Bolezlaus Dux Sleziae, fundator Lubenſis Coenobii.* *Fundator* qvidem eius monaſterii dicitur, ſed primus *fundator* intelligi non poteſt, qvoniam Caſimirus e Cluniacenſi Fano ad regnum accitus, arcem Lincii uno lapide Cracovia diſtantem, et Leubuſium templo Martis notum, ordini ſacro, qvem antea profeſſus fuerat, magnae pietatis et munificentiae laude aſſignavit. De matre huius Ducis variant ſcriptores, Schickfuſius et eius aſſecla Fridericus Lucae, Chriſtinam nuncupant, qvos errore ductos tabulae *fundationis* oſtendunt, qvarum vel unum dabo exemplum, et prima duntaxat recitabo verba. *Ego Boleslaus Dux Zleſiae, inclitaeqve Dnae Adelheidis, Filia Imperatoris Henrici* IIII.

XIII. Qvamvis autem his temporibus nondum muro circundatum fuerit Lignicium, tamen arce et templis a vicis et vulgaribus municipiis diſtingvebatur, et moles aliqvot turresqve, pro illorum conditione temporum, habebat. Itaqve Tartaris agrum Lignicenſem infeſtantibus, excedere coactus eſt Henricus pius, qvod neqve in muro, neqve in munitione praeſidium inveniret, praelioqve experiri neceſſe haberet. In exeuntis caput *tegula* ex templo, qvod praeteribat, Mariano decidit, et infauſtum pugnaturo omen praebuit, neqve tamen is hoc caſu territus, per veterem portam, qva Vratislaviam itur, perrexit, et Tartaris, Lignicii agrum inſidentibus fortiter ſe obiecit. Porta haec Duci animoſo tranſeunti fatalis, non obſtructa qvidem, ſed cum ſpeculis et turribus partim in vallo incluſa, partim in proximas Diaconi aedes conflata eſt, ut vix portae eius veſtigium hodie oſtendi poſſit. Etſi autem vetus portae nomen manſit, tamen locus deinde mutatus eſt, qvum Fridericus II. amplificandae Vrbi operam daret, qvod accidit A. MD XXXII. Antea enim porta Vratislavienſis patebat usqve ad turrim a pulvere pyrio cognominatam, inter D. Mariae templum et Epiſcopi aulam.

Qvam Dubravius Saxum nominat.

XIV. Ego

XIV. Ego tandem, re diu multumqve cogitata, exiſtimo murum oppidi interiorem, poſt irruptiones Scythicas, extructum, cuius fundamentum operis iecit Boleslaus Calvus, cui in diviſione obtigit Ducatus Lignicenſis. Summo is ſtudio et voluntate ad ornandam Vrbem ſe comparavit, princeps alioqvin gloriae cupidus, et bellicoſus, qvi urbem ſedis ſuae cauſa firmiorem perinde ac tutiorem eſſe cupiebat. Poſtea *Fridericus II.* vallum foſſamqve exteriorem circunduxit, metu belli Turcici, qvod tunc finibus noſtris imminebat, permotus. Demum providentia Principum abſolvit opus, et ſigillatim Henricus XI. ad exitum perduxit, foſſamqve dilatavit, et novas moles, qvae portae et valli latera cuſtodiant, bello in Germania coorto, Monteverqvius iuſſu publico adiecit. *A. M. D. XXX.*

* *Sane omnium ſunt antiqviſſimae moles e ſaxis ſolidis extructae, qvum adhuc ignoti eſſent lateres, qvorum uſus multo recentior, et ſtructura ab illis temporibus remotior fuit, qvod iudice oculo, et animo colligamus licet, dummodo unicum excipiatur templum Marianum, mole lateritia conſtans, et a reliqvis hoc ſtructurae genere diverſum.*

XV. Arx qvidem antiqvitus urbi non erat coniuncta, pars plateae, qvae portam Hanovienſem ſpectat, forum lapidarium, item platea ab eqvitibus dicta, tum S. Ioannis et S. Crucis templa, locusqve exiguus in extremo Vrbis inter Glogovienſem et Vratislavienſem portas, extra Vrbem conſtituebantur, deinceps turbatis motu Huſſitico rebus, in Vrbis pomoerio includebantur. *A. M. CCCC. XXVIII.* Curia in ea Vrbis parte, qva ad plateam Goldbergenſem itur, extructa olim fuit: *commodior* deinde locus aedificandae ex integro curiae delectus eſt, qvi inter utrumqve forum patet, et publico atqve inſigni domicilio, qvod muris parietibusqve lateritiis conſtat, ornatur. *A. M. CCC. LXXIX.*

XVI. Multa qvidem de Templis et aedibus, praeſertim antiqvitatis et ſtructurae cauſa, in praeſens commemoranda eſſent, ſed ea conſulto praetermittenda duxi, propterea qvod a Iacobo Schickfuſio, et Friderico Lucae, haud indiligenter, et maiori parte, literis mandata ſunt, qvanqvam in hoc merito conſtantiam deſi-

deſidero, qvod in libro, qvi inſcribitur *Corona Sileſiae Principum*, Templi Ioannei primordia Ludovico, deinde in pleniori Sileſiae Chronico, Venceslao accepta ferat, ſui oblitus, et a Curioſo, qvi ita ſe nominat, Sileſio, ſed earum rerum ignaro, deceptus. Nam qvod hic ad confirmandam ſententiam inſcriptiones adducit, induſtriam magis, qvam iudicium probat. Etenim pro certo affirmandum eſt, in D. Ioannis templo duo eſſe ſaxa, alterum ſub Altari, qvod Venceslai et Vxoris eius ſtatuam oſtendit, alterum in pila prope fores: utrumqve eſt publicum aedis illius monumentum, ſed aliunde, et ex templo prope arcem et portam Glogovienſem condito, qvod titulum a S. ſepulchro habuit, translatum. Qvod argumento eſt, inſcriptiones, qvarum memini, non ad Templum D. Ioannis, ut qvorundam opinio eſt, pertinere, ſed ſubducta penitus ratione, ad Templum a S. ſepulchro dictum, prorſus et omnino referri oportere. Qvae reſtant, in aliud tempus et locum reſervo, ſed pietatis, qvam Patriae debeo, memor, Vrbem hanc, cuius civis et alumnus ſum, Dei Caeſariſqve Auguſti beneficio, Procerumqve opera et conſilio, florentem ſemper ac fortunatam eſſe opto, et qvanta poſſum animi religione, a maximo Imperiorum et Vrbium ſtatore contendo.

Inſcriptio Saxi ſub Ara.

ANNO DNI M CCC. LXIII. SECVNDO DIE M. IVNII OBIIT INCLYTVS DVX WENCESLAVS, DNVS LEGN. FVNDAT. PRÆSENT. ECCL.

Inſcriptio Saxi in Pila.

A.D.M.CCC. XLVIII. FVNDATVM ET DOTATVM EST ISTVD COLLEGIVM PER INCLYTOS PRINCIPES, WENCESLAVM ET LVDOVICVM FRATRES, DVCES SLES. DNOS IN LEGNITZ ET IN BREGA.

Item.

A. D. M. CCCXCVII INCEPTA EST FABRICA HVIVS ECCLESIÆ, QVÆ ANNO DOMINI MCCCCXXV. CONSECRATA EST IN HONOREM S. SEPVLCRI DOMINICI BEATÆ VIRGINIS MARIÆ, S. WENCESLAI, HEDWIGIS ET MARIÆ MAGDALENÆ BEATARVM.